

Q. D. B. V.

II c  
1279

X1860518

DECANUS  
FACULTATIS JURIDICÆ  
GODOFREDUS

*Strauß*/


Philos. & J.U.D. Pandect. Prof. Publ.

Potentiss. Elector. Saxon. in summo Appellat. Judicio  
nec non Sereniss. Principum Anhalt. Servest. Con-  
siliarius, Curia provincialis cæterorumque Colle-  
giorum Juridicorum, quæ hic sunt,

Assessor

LECTURIS

Salutem plurimam  
dicit!



WITTENBERGÆ,  
Typis MATTHÆI HENCKELII, Academ. Typogr.  
ANNO M.,DC LXXXIII.






JESU JUV A!



DE Lege Regiâ anceps inter eruditos controversia est, judicare desuper, oppidò difficile. Relictis variis ejusdem acceptionibus istam sibi sumunt & intelligunt potissimum Jcti, quæ de Imperatorum Imperio lata, quæque summa in Republ. Romanâ potestas à populo in unum translata fuit. Incunabula hujus in magnam sanè incurrunt difficultatem. Sub Octavio Augusto latam esse, plurimi autumant, negant tamen alii, quos ratio quidem omnis non destituit. Nomen Regium exosum maximè fuit Romanis, admisisse ergo id Augustū in illa Lege vero simile haud est: quippe qui vel Domini appellationem ut maledictum & opprobrium semper exhorruit. Ita enim de ipso Sveton. Tranquillus Lib. 2. Cap. 53. perhibet: *Cum spectante eo ludo pronunciatum esset in mimo: O Dominum æquum & bonum! & universi quasi de ipso dictum exultantes comprobassent: statim manu vultuq; indecoras adulationes repressit & in sequenti die gravissimò corripuit edictò, dominumq; se posthac appellari ne à liberis quidem aut nepotibus suis vel seris vel joco passus est: atq; hujusmodi blanditias inter ipsos quoq; prohibuit.* Tum quoq; eodem Svetonio teste Lib. 2. cap. 52., cui Vellejus Paterculus Lib. 2. & Dio Cassius Nicæus Lib. 53. Hist. Rom. assentiuntur, dictaturam magnâ vi offerente populo genibus nixus, dejectâ ab humeris togâ nudo pectore idem deprecatus est. Hòc ipsò ut haud vanè Casaubo-



bonus arbitratur, significaturus, malle se occidi, quam eam  
titulum summinime imperii recipere. Gnaeus fatis, ipsum  
Dictatoris titulum Parenti fuisse infaustum. Et quem late  
vafra Augusti, quam in suscipienda & conservanda summa  
potestate adhibuit, simulationis calliditas? Omnem scilicet ope-  
ram, curam, industriam, cogitationem & mentem denique in  
eo ipse locabat, ut dementaret (liceat ita loqui) populum &  
pristinæ speciem libertatis animis ejusdem imprimeret: Quam  
fini comitiorum jus reduxit, in eligendis Cōsulibus senten-  
tiam dicere populo permisit, provincias cum eodem parti-  
tus, se non aliis quam volentibus imperare contestatus est,  
imperium se depositurum simulavit, ad annos aliquot sibi  
prorogari passus & precibus victus tandem retinuit. Ut ta-  
ceam modestiæ & humanitatis laudem, quam testante Dio-  
ne Cassio Nicæo Lib. 54. Histor. Rom. admodum affectavit,  
ne commemorem ingens placendi studium, quod juxta Ta-  
cit. Lib. 2. Annal. ipsius quoque vulgi ingenium non semel  
est imitatus. Atque hinc seriò statuit Arnoldus Clapmarius  
de Arcan. Rerum publ. Lib. 2. Cap. 15. Legem Regiam, quæ  
de Imperio Principis lata dicitur, quæve populus ei & in eum  
omne imperium suum & potestatem concessit, ante Vespasi-  
ani imperium nullam fuisse, vel si fuerit, emedicatam aut  
vi extortam. Cujus sententiam firmare poterat pars istius  
Legis de Vespasiani imperio lata, quæ in tabula Basilicæ La-  
teranensis testante Barnaba Briffonio de Formul. & Solen-  
nib. populi Rom. Lib. 2. pag. m. 154. ubi & fragmentum iste  
inserit, in æs incisa conspicitur. Et enim parum abest, quin  
Scipio Gentilis & Gerhardus Coccejus in Commentar. ad L.  
1. pr. ff. de Constit. Princip. omnem legis Regiæ sanctionem  
in dubium vocent. At vero dari Legem Regiam & sub ipso  
Augusto promulgatam primum vel tunc usurpatam ab ipso  
fuisse, non spernenda & ex legibus & receptis Historicis ad-

);( 2

sunt

sunt rerum argumenta. Legem etenim Regiam de Principis imperio latam fuisse, Ulpianus in l. 1. pr. de Constit. Princip. asserit. ejusque vestigia hac parte procul dubio secutus Imperator in pr. §. 6. J. de J. N. G. & C. idem inculcat. Et ne irreputia fortean ista verba putemus, Imperator noster hoc repetit alibi utpotè in L. 1. §. Sed & hoc 7. C. de Vet. Jur. e. nucl. hisce verbis: *Cum enim Lege antiqua, qua Regia nuncupabatur, omne jus, omnisque potestas populi Romani in Imperatoriam translata sint potestatem &c.* Item in L. un. §. 14. C. de Caduc. toll. ubi eandem Augustum privilegium appellitat. Tum vero sub Imperatore Octavio Augusto sanctam Legem Regiam primùm fuisse, credibile est propter L. Apud eum 14. §. 1. ff. de Manumiss. cujus verba hæc sunt: *Imperator cum servum manumittit, non vindictam imponit, sed, cum voluit, sit liber is, qui manumittit, ex Lege Augusti.* Quæ omninò illa Sanctio est, qua Imperatores legibus soluti pronuntiantur in L. 31. ff. de LL. Cujus sanctionis ipse quoque Dio Cassius in vita Augusti percensenda Lib. 53. pag. 312. meminit. Unde & illud primò profluxit, ut, quod ipse Princeps constituit, pro Lege servaretur. Et hoc ipsum apprimè comprobatur laudatus modò Dio Cassius Lib. 53. pag. m. 316. ubi hæc habet: *Augusto X. C. Norbano Consulibus Calendis Januariis Senatus juramento confirmavit, se ejus acta approbare: cumque jam urbi appropinquare diceretur (nam propter morbum diutius abfuerat) ac pollicitus populo viritim centenos esset denarios, negassetque se prius id proscripturum, quam Senatus assensisset, omni eum legum necessitate Senatus liberavit, ut, veluti demonstratum à me est, verè cum plena potestate perfectèque sui juris legibusque solutus agere aut non agere omnia suo possit pro arbitrio.* Et porro pag. 318. subjicit: *Eapropter Senatus Augusto hos honores decrevit, ut Tribunus plebis perpetuus esset, ut quoties Senatus haberetur, etiamsi*

etiamsi Consulatum non gereret, de quibuscunq; rebus referre  
posset, ut Proconsulare imperium semper haberet, neq; id in  
urbe intrans deponeret, aut renovando opus ei esset, ut ma-  
jor ipsi in provinciis, quam praefectis earum semper esset po-  
testas. Inde exortum est, ut Augustus quig; eum secuti sunt  
Imperatores, lege quâdam reliquis hisce & Tribunitiâ pote-  
state uterentur. Nam Tribuni Plebis nomen neq; Augustus,  
neq; ullus alius Imperator gessit. Ac mihi sane hæc ei tunc  
non adulantes, sed verè tribuisse Romani videntur. Idem  
Joann. Xiphilinus in Epit. è Dione in Augusto confirmat. In  
partes hic & Taciti testimonium haud incongruè vocari  
potest, qui Augustum cuncta discordiis civilibus fessa no-  
mine Principis sub imperium accepisse Lib. 1. Annal. cap. 1.  
memoriæ prodidit. Et verò quæ statuimus modò, eò fa-  
ciliùs animum inducemus, si cogitemus nobiscum, qui  
tunc temporis fuit, Reip. Romanæ statum, si ipsius Octa-  
vii intentionem & actiones, prout Tacitus Lib. 1. Annal. cap.  
2. delineat, ob oculos nobis ponamus. Atqui nec ipse Tran-  
quillus multum abhinc abludit, quando in Augusto Cap. 27.  
graphicè satis ita tradit: Tribunitiam potestatem perpetu-  
am recepit, in qua semel atq; iterum per singula Iustra colle-  
gam sibi cooptavit. Recepit & morum legumq; regimen æquè  
perpetuum, quò jure, quamquam sine censura honore, cen-  
sum tamen populiter egit: primum ac tertium cum Collega,  
medium solus. Cæterum istius Legis Regiæ auspicia Suc-  
cessores Augusti eximiè deinceps provexerunt. Quisque  
enim horum teste Hottomanno in Indice Leg. Roman.  
quò die Imperium excipiebant, eam pro Imperii lege reci-  
tari curarunt. Solennis verò præprimis renovatio sub Ve-  
spasiano Imperatore facta, cujus hodiernum, quod supra  
jam monuimus, extat fragmentum. Sed de varietate ista  
& veritate Legis Regiæ uberiora, qui cras DEO dante in

concionem prodibit Candidatus noster Vir Juvenis Clarissimus ac solidè doctus GODOFREDUS SVEVUS Wittebergensis, proferet ac effabitur. Cujus gratiâ cum præsentem suscepimus scriptionem, ab isto Themate digredi & more Majorum nonnulla de ejusdem Parentibus, vita ac studiis ex hoc loco commemorare haud pigrabimur. Natus ipse est hic Wittebergæ Anno 1652. Patre Viro Nobilissimo, Consultissimo ac Excellentissimo, DN. GODOFREDO SVEVO, Jcto celeberrimo, Cod. Prof. Publ. Curia Electoralis, Scabinatus & Facultatis Juridicæ, quæ hic sunt, nec non Curia Provincialis in inferiori Lusatia Assessor gravissimo & optimè merito: Matre verò Nobilissimâ Clarissimâque Fœmina ANNA DOROTHEA, ex famigeratissima REUSNERORUM familia oriundâ. Hunc natalitatis splendorem sicut ad felicitatis haud vulgaris partem interpretari Noster poterat: Ita præmaturus Parentis utriusque obitus, admodum cordi ac sollicitudini eidem fuit. Sub Tutorum igitur cura educatus privatos domi Magistros diu non habuit, sed in alienis ædibus Scholas ut inviseret, necessitatis lex literarum maximè cupido imposuit. Adultior paulo Viro Clarissimo ac de juventute merentissimo DN. M. JOH. PEISKERO, Scholæ nunc apud nos oppidanæ Rectori, traditus, Latinam ac Græcam literaturam mirâ hausit celeritate. Ultramque deinceps & quidem illam præeuntibus Viris Amplissimis ac Excellentiss. DN. CHRISTIANO Röhrensee/ Moral. & DN. CONRADO SAMUELE SCHURTZFLEISCHIO, Historiar. hanc autem DN. BALTHASARE STOLBERGIO, Græcar. Linguarum Professoribus Publ. DNN. Colleg. Compatrie, & Amicis sedulò excoluit. Abitum deinceps abhinc parans & vicinam Academiam Lipsiensem petiturus, sub præsidio laudati Dn. Röhrensee de Virtutibus seu medio Morali, Author

thor ex Cathedrâ publicè differuit. Lipsiæ juri potissimum  
operam dare cœpit & beati DN. PAULI FRANCISCI RO-  
MANI, J. U. Doct. & Professoris istic loci qvondam percele-  
bris, Affinis nostri conjunctissimi Scholas frequentavit. Do-  
mum inde ab iis, qvorum tum in ipsum arbitrium erat, re-  
vocatus Antecessorum omnium, qvi tunc temporis jura  
hic professi sunt, prælectiones publicas visitavit tribusqve  
vicibus & quidem sub Præsidio Magnif. Nobiliss. ac Con-  
sultiss. Virorum Dn. WERNERI THEODORI MARTINI,  
p. t. Rectoris Magnif. de Personis quæ feudum dare vel ac-  
cipere possunt, in Collegio Schnobeliano, & Ordinarii no-  
stri venerandi Dn. CASPARIS ZIGLERI, Jctor. & Ante-  
cessorum in hac Academia Celeberrimorum, Potentiss. Ele-  
ctoris Saxon: Domini nostri clementissimi, Consiliarior.  
Curia Electoral, Consistorii Ecclesiastici Scabinatus & Fa-  
cultatis Jurid. nec non respective Curia provincialis, quæ in  
inferiori Lusatia est, Assessorum gravissimorum Dnn. Fauto-  
rum, Collegarum, Affinis, Compatri ac Amicorum reve-  
renter ac studiosè colendorum de Jure Venandi publice  
disputavit; tertiam verò de Juribus Patr. Potest. Disputatio-  
nem, Præside beato Dn. D. MICHAELE LEDERERO, Instit.  
qvondam hic Professore Publ. famigeratissimo &c. habuit  
& utrobique optimè stetit. Præter hæc & nos Disputatio-  
nes Dn. SCHNOBELII ad Jus Feudale privatim interpre-  
tantes audivit. Relictâ iterum nostrâ, in Francofurtensem  
ad Viadrum concessit Academiam ibique loci Virorum  
Magnif. Nobiliss. & Consultiss. Dn. JOH. FRIDERICI RHE-  
TII Facultat. Jurid. tum quidem temporis Ordinarii, nunc  
verò Potentiss. Elect. Brandenburg. Consilarii intimi,  
& Dn. SAMUELIS STRYKII, Comit. Palat. Cæsar. & Pro-  
fessor. Publ. celeberrimi, nunc Ordinarii merentissimi,  
tum in Jure publ. tum privato; in Moralibus, Politicis ac  
Hi-

94776 1279


Historicis verò admodum reverendi & Excellentissimi Dn.  
JOH. CHRISTOPH. BECMANI SS. Theol. ac Philos.  
Doct. & Histor. Prof. Publ. percelebris institutione usus &  
per aliquot annos istic loci commoratus ea fecit spatia, ut  
Præceptores dignum æstimaverint ipsum, qui aliis docen-  
do præiret. Nonnullos igitur ex generosa prosapia natos  
in Juris nostri arte fideli cura & singulari industria instituit.  
Tandem Studiorum suorum fiduciam habens in Patriam  
Academiam reversus à Collegio nostro summos in utroque  
Jure honores capeffendi licentiam decenter petiit. Co-  
gnitis jam ejusdem profectibus in numerum Candidato-  
rum libenter receptus examen primum mascule subiit &  
sustinuit, ut ad ulteriora specimina ipsum admittendum  
esse, omnes ac singuli annuerent. Crastinâ ergo, Deo  
volente, luce Orationem de Themate supra memorato  
horâ IX. matut. in Auditorio nostro Juridico publice reci-  
tabit; à meridie verò horâ 3. pomerid. L. 18. C. de Transact.  
fat intricatam cursoriâ lectione resolvere incipiet & ejus  
explicationem sequentibus diebus continuabit. Ut au-  
tem Panegyri isti RECTOR MAGNIFICUS, PATRES  
ACADEMIÆ CONSCRIPTI nec non reliqui Jurispru-  
dentia FAUTORES & in universum CIVES nostri omnes  
& singuli adesse haud dedignentur, etiam atque etiam oro  
rogoqve P. P. sub Sigillo Jurid. Facult. FESTO

VISITAT. MARIÆ Anno  
M DC LXXXIII.

VDTF

110





A!  
FACTO

s inter eruditos con-  
re desuper, oppidò  
vvariis ejusdem acce-  
sumunt & intelli-  
cti, quæ de Impera-  
a, quâque summa in  
potestas à populo in-  
s in magnam sanè in-  
gusto latam esse, plu-  
vos ratio quidem o-  
exosum maximè fuit  
illa Lege vero simile  
llationem ut maledi-  
nit. Ita enim de ipso  
chibet: *Cum spectan-*  
*O Dominum æquum,*  
*tum exultantes com-*  
*coras adulationes re-*  
*rripuit edictò, domi-*  
*quidem aut nepotibus*  
*omodi blanditias inter*  
*mSvetonio teste Lib.2.*  
*& Dio Cassius Nicaus*  
*curam magnâ vi offe-*  
*b humeris togâ nudo*  
*ut haud vanè Casau-*  
bo

212

un  
cu  
rin  
m  
Re  
ha  
e  
S  
te  
E  
pi  
pi  
n  
su  
if  
c  
L  
r  
r

